



**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Monitum primum. Non possunt sæculares quicquam statuere contra personas Ecclesiasticas in comitiis vel alias, etiamsi contineant in suo consessu Episcopos, tanquam Senatores vel Iudices: qui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

MONITVM PRIMVM.



Non possunt ſeculares, tam in Comitibus, quam in Comitibus, atque cæteris Iudiciis, Tribunalibus, locis, ac occaſionibus ius dicere Spiritualibus perſonis. Non poteſt item vlla Reſpublica, etiã quæ continet intra ſe Archiepiſcopos Episcoposque, vllas leges, ordinationes, conſtitutiones, ſtatuerè contra perſonas Spirituales, quales cenſentur Episcopos, Prælati, Canonici, Parocho, Religioſi ſexus vtriuſque, &c. Quicumque verò contrarium faciunt, peccant mortaliter, & in excommunicationem incurrunt (neque enim excommunicatione fertur, niſi contra letaliter delinquentes, nec in omni materia, & quomodovis delinquentes, ſed in materiis grandibus & enorme crimine continentibus) à qua excommunicatione neque ab Ordinario Parocho, neque à Religioſo vllò, ſpeciale facultatem ad id non habente, abſolui poſſunt. Eſt enim ſoli reſervata Pontifici Romano.

Nec multis ad id demonſtrandum res eget argumentis. Primum enim Bulla Cœnæ Domini expreſſam his continet verbis excommunicationem n. 14. & 15. *Etiã ſi fuerint præſidentes Cancellariorum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vice-Cancellarij, Conſilarij Ordinarij, vel Extraordinarij quorumcumque Principi ſecularium, etiã ſi Imperiali, Regali, Ducali, vel aliã quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Episcopos, Abbates, Commendatarij, ſeu Vicarij fuerint, excommunicamus, & anathematizamus omnes & ſingulos qui per ſe, vel per alios, auctoritate propriã, perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conuentus Collegia Eccleſiarum, quorumcumque coram ſe, ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecè, quovis quaſito colore. Nec non qui Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, ſeu quavis alia Decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſã, & quovis quaſito colore, ac etiam prætextu cuiuſcuſque conſuetudinis, aut privilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis vel ordinatis viſi fuerint (quæ verba diligenter expendenda ijs, qui quamvis nihil tale condant, condita ac conſtituta iniquè ab alijs, executioni mandant, aut mandari curant) unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur vel deprimitur, aut aliã quovis modo reſtringitur ſeu noſtris, & dictæ Sedis ac quorumcumque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directe vel indirecè, tacite vel expreſſe, præiudicatur, &c.*

Ratio verò propter quam non licet ſecularibus Iudicibus ius ſuum ad Spirituales extendere perſonas, pariterque ad illarum poſſeſſio-

nes ac bona, hæc eſt. Quia tam perſonæ Spirituales, quam illarum bona, eximuntur iure Diuino, Eccleſiaſtico, ac Cæſareo, ab omni iuriſdictione perſonarum & poteſtatum iuriſque ſecularis, vti docent Concilia generalia, Sacri Canones, Ius Cæſareum, Doctores Theologiæ & Iuriſperiti. Lege ius Canonicum in Decretali. Eccleſia S. Mariæ de Conſtitutionibus, & Bonifacij VIII. de immunitate Eccl. §. 1. & quanquam de cenſibus approbata in Concil. Lateran. ſeſſ. 10. & Trident. loco infra cit. & in Can. Benè quidem, diſt. 96. Cum igitur nullum ius validum ſit, ſi ab eo feratur, qui ferendi ius non habuit; ſequi neceſſe eſt, nullum ius à ſecularibus, contra Eccleſiaſticos ſtatui poſſe, qui iure omni eximuntur à iuriſdictione ſeculari eorumque bona; quocirca, contra eorundem latum, validum eſſe non poteſt, latoreſque iuris, iuxta ac executores ſententiæ, graviter peccant vt demonſtratum eſt, ex Bulla cœnæ Domini.

Quapropter Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. vlt. ſic cenſet: *Synodus ſeculares Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit, nec permiſſuros, vt Officiales, aut inferiores Magiſtratus, Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione & Canoniciſ Sanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconfideratione violenter, Et Concilium Colonienſe par. 9. cap. 20. Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſſima res eſt, iure pariter Diuino & humano introducta, qua in duobus poſiſſimam ſita eſt. Primum, vt Clerici eorumque poſſeſſiones & bona, à vectigalibus ac tributis alijsque muneribus latis, libera ſint, &c. Idem antiquiora Concilia aſſerunt, Lateranenſe ſub Alexandro, & Innocentio III. cap. 19. & 46. Moguntinum primum cap. 6. ſecundum cap. 76. pluraque alia. Verum expendenda videntur diligentius Lateranenſis Concilij ſub Innocentio III. verba cap. 44. *Cum laici, quantumvis Religioſis, diſponendi de rebus Eccleſiaſticis, nulla ſit attributa poteſtas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi, dolemus ſic in quibuſdam ex illis refrigeſcere charitatem, quod immunitatem Eccleſiaſtica libertatis, quam ne dum Sancti Patres, ſed etiam Principes ſeculares multis privilegijs munerunt, non ſormidant ſuis conſtitutionibus, vel potius conſiſtitionibus impugnare, non ſolum de feudorum alienatione, & aliarum poſſeſſionum Eccleſiaſticarum, & vſurpatione iuriſdictionum, &c.**

Vera autem eſſe, quæ dicit de Principibus ſecularibus Concilium, certis oſtendo testimoniis. De Conſtantino enim magno, primo ex iis qui Chriſtum ritè Deum colunt, Imperatore, hæc tradit Nicephorus lib. 7. Hiſtor. Eccl. cap. 46. *Clericos omnes conſtitutione latã immunes liberoſque eſſe permiſiſe, iudiciumque & iuriſdictionem in eos Episcopis mandavit, & quod Episcopos iudicaſſent, id robur & auctoritatem ſententiæ omnem habere debere decreviſt.*

Secutus

Secutus parentem Constantinus Secundus, non tantum personas Spirituales, earumque bona ab omni seculari potestate exempta esse voluit, verum eodem privilegio, res pecuniâ conquisitas, familiamque donat in Cod. lib. 2. de Episcopis & Clericis. *Coniugibus, liberis, & ministeriis, id est maribus pariter ac feminis, eorumque filius, ac filiiabus, & hominibus, etiam eorundem; qui operam in mercimoniis habent. Id quod Diuini Principis genitoris mei statuta, multimodâ obseruatione cauerunt.*

Accessit his, Constantius Constans apud Soz. lib. 3. cap. 16. de iis ita loquens: *Auxere, quae alij fecerunt Imperatores Clericis, filiis eorum, & familiae, eximios honores, & immunitatem quoque tribuerunt. Idem narrat lib. 6. cap. de Iouiniano Imperatore,*

Idem confirmant Valentinianus & Martianus Imperatores C. de Sacros. Eccl. l. 12. Et idem Martianus l. 14. C. de Episc. audien. *Quicumque, inquit, voluerit aliquem Clericum lite pulsare, apud Archiepiscopum causam dicat. Nec defensere Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Imperatores caus. II. q. 1. cap. 5. Continuatâ lege sancimus, vt nullus Episcoporum, vel eorum qui in Ecclesia necessitatibus seruiunt, ad iudicia, siue Ordinariorum, siue extraordinariorum Iudicum protrahatur. Habent enim illi suos Iudices, nec quicquid in his, publicis est commune cum legibus. Idem Theodosius & Valentinianus l. vii. C. Theodof. de Episc. & Clem. V. Fas, inquit, non est, vt diuini muneris Ministri, temporalium potestatum subdantur arbitrio.*

Iustinianus Imperator, in auth. causa, quae fit cum Monacho C. de Episc. & Clem. V. cum dixisset, causas personarum Spiritualium agendas coram Episcopis, atque Abbatibus, addit: *Ciuis Iudex, qui de his causis sententiam proferre praesumpserit, ab administratione depulsus, tanquam diuinitati contumeliam faciens, poenâ decem librarum auri, cum officio multabitur. Idem l. p. Sancimus C. de Sacros. Eccl. post statutam legem de iis quae Ecclesiae donantur, ne possint alienari, subiungit: Quia ea quae diuini iuris sunt, sunt, non obligari humanis nexibus, sanxerunt. Idem in super Iustinian. in Const. 123. Si Ecclesiasticum, inquit, negotium sit, nullam Communionem habeant Ciuiles Magistratus, cum eâ disceptatione, sed Religiosissimi Episcopi, secundum Sacros Canones, negotio finem imponunt, siue controuersia sit de iure Ecclesiastico, siue de quibuslibet aliis rebus. Si quis reclamet, causam ad Archiepiscopum, & Patriarcham deferat, & ille secundum Canones & leges, finem adhibeto. Redditurus deinde causam legis l. Sancimus 2. C. de Sacros. Eccl. Cur enim, ait, non facimus discrimen inter res diuinas, & humanas? Et cur non competens prerogatiua caelesti fauori conseruetur? Quoniam verò Iulianus Apostata hostis Dei, eiusque Ecclesiae, teste Sozomen. li. 5. cap. 5. Clericos denuo curiis addidit, & leges eo-*

rum causâ latas abrogauit duo antiquiores Iustiniano Imperatores, Leo atque Antemius l. 15. de Sacros. Eccl. restituta libertate pristina iuribusque Ecclesiae, Iuliani statuta damnauerunt, eaque tyrannicas, sacrilega impia appellauerunt: subiunctâ causâ: Quia fuerunt facta contra ipsum Deum.

Iungo his Fredericum Imperatorem auth. statuimus cap. de Episc. & Cleric. *Statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam, in criminali questione, vel ciuili trahere ad iudicium seculari praesumat, contra Constitutiones Imperiales & Canonicas Sanctiones. Quod si actor fecerit, à suo iure cadat, iudicium non teneat, & Iudex ex tunc iudicandi potestate priuetur. Et auth. Cassa de Sacros. Eccl. Cassa & irrita esse denunciari praecipimus omnia statuta, & consuetudines, contra libertates Ecclesiae, eorumque personas, indultas, aduersus Canonicas vel Imperiales Sanctiones, & eâ de capitularibus penitus aboleri mandat noua Constitutio, & cetera similia attentata ipso iure nulla esse decernit. Sed si per annum huiusmodi nouelle Constitutionis aliqui inuenti fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium impauê ab omnibus occupentur.*

Propter has tantas Status Spiritualis prerogatiuas, in grauissimis quoque criminibus, nihil contra personas Spirituales pij Principes attentare ausi. Nam cum in Anglia rebellionis author atque dux nonnemo ex Sacerdotum numero contra Henricum VII. extitisset, eaque rebellio multorum milium caede crenata sit, pacificato deinceps regno, paucisque de rebellibus à Rege sumptis, Sacerdos author rebellionis, ad Ecclesiasticum tribunal remissus; quemadmodum refert Cardinalis Polus de vnitate Ecclesiae. In simili crimine fidei desertæ, publicique fœderis contra Carolum V. Regem Hispaniarum anno 1520. atque contra matrem eius Ioannam, edictum à Rege in Ciuitate Bormez, vt nefarij contumaces, à regni sui Officialibus ac Praesidibus, grauissimis poenis punirentur, solis, qui in eam luem confluxerunt exceptis Ecclesiasticis. Nam hi ad iudicium Spirituale remittendi decernebantur vt scribit Molina lib. 4. cap. 11. num. 58. de Hisp. primog. Quando igitur magis necessarium est, in rebus indifferentibus, minimeque perniciosis, integram seruari Ecclesiae dignitatem, neque decretis improbis, sacrilegisque Comitiorum Comitolorumque licerari. Nouerint quae sui iuris sunt, nec aliena violent iura, quos alloqui D. Ambrosius ad Valent. Imperator. similibus negotiis in immiscentem videtur epist. 32. Noli grauare Imperator, vt putes te in ea quae diuina sunt, imperiale aliquid ius habere; publicorum tibi meum ius commissum, non Sacrorum. Et vos, vos Catholici, qui ne manibus quidem ciuitatum praesidentis, quo iure? quâ fronte in bona Ecclesiastica inuolabitis? inuolatam, in Promotiones, in pluralitatem

tatem beneficiorum; exiguis, vel certe satis egenis diuicibus concessam debacchabitis; lingua rabiem exercebitis? ab officijs in Republica & Cancellarijs Regijs Ecclesiasticos arcebitis nil vestri interest, quid illi agant: Aduertere prius in excessus vestros, quorum causa; apud externos male auditis, tum immorem sceleris censuram, in alienos mores vitam que non nihil exerece licebit, ita tamen, vt integram causam, sano Prælatorum arbitrio relinquatis.

MONITVM SECVNDVM.

8. **E**Se mos in Regno Poloniæ, vt in publicis Regni iudicijs, (quæ Tribunalia appellantur) Regiâ autoritate, quotannis à nobilitate electi certi iudices, laicorum lites & controuersias diiudicent, & sententias non admissâ appellatione ferant: deinde eliguntur partim aliquot laici iudices, partim aliquot Ecclesiastici electi & missi ab Ecclesijs Cathedralibus, qui iudicent causas & querelas intercedentes inter laicos & Ecclesiasticos. Et hoc iudicium appellatur, *iudicium compositum*. Quod & hæretici & quidam Pseudo-catholici sæpè conati sunt (iusto tamen conatu) abolere; ita, vt soli laici sine interuentu Ecclesiasticorum prælatorum, omnes lites & controuersias dirimerent & Ecclesiasticas personas iudicarent. Verum hoc compositum iudicium aboleri non posse sine graui scelere, & pœnâ anathematis, hinc apparet.

Primò. Abrogat, qui compositum iudicium Tribunalibus excludit, Ecclesiasticis ius legitimum, ab eis longo vsu roboratum. Et quandoquidem hoc ius vel priuilegium non leuis momenti est, sequitur, vt iniuria quoque per abrogatores huius iuris, Ecclesiasticis illata, nihilo minor sit.

9. *Secundò*. Si *Compositum iudicium* excluderetur Tribunalibus, iam adigerentur Ecclesiastici, eorum sæculari iudicio comparere iudicandi, quod ipsum est contra immunitatem Ecclesiasticam, quam, qui violat & iniquam supra Ecclesiasticos iurisdictionem sibi vsurpat, simul excommunicationis pœnâ subit, quem admodum, in præmitione primâ declaratum est.

Omni ætate, prisco etiam apud Christianos, Ecclesiastici iudicij vel præerant vt moderatores, vel aderant vt iudices. Videamus quid Doctor gentium Paulus Apostolus 1. Cor. 6. ad Prælatos Ecclesiæ scribat: *Nescitis, inquit, quoniam Angelos iudicabimus, quando magis secularia?* Quod ad omnes, quicumque Ecclesiæ præsunt hoc extenditur 1. Can. nemo cum seq. 9. q. 3. Ideò Imperatores Christiani, iudicium Ecclesiasticorum, quibuscunque de rebus ac negotijs, fixum ratumque esse volue-

runt 1. l. C. Theodos. de Episc. & Cler. Insuper Honorius & Arcadius libi. 4. C. de Episc. aud. Constituit liberam à iudicio sæculari, ad Ecclesiasticum appellationem, contradicente licet parte altera; nec amplius ad sæculares dabatur recessus. Idem fecit & Theodosius apud Gratian. Can. 34. 11. q. 1. & Carolus Magnus. Can. 36. eod. q. 1. & C. 13. ext. de Iudic. Quinimo Theodoricum quoque Gothorum Regem, quamuis Arianum, cum Italiâ longè lateque vastatâ, Romam subegisset, idem statuisse refert magnus ille Aurelius Cassiodorus lib. 3. Epist. 37. ad Petrum Episcopum.

Sed satis mirati non possum frivolum hunc quorundam Politicorum consensum contra Ecclesiasticos Tribunalibus euicendos, maius in dies incrementum sumere, cum expressè Iustinianus Imperator, etiam Litanias abque Ecclesiasticorum consilio fieri prohibuerit, nisi fortè maiori iudicio, directione & scientiâ Litanæ indigeant, quàm Tribunalia, minime. At certè scientiam, & sanum ad bene discernenda negotia consilium vbi feracius reperies, non inter Spirituales & Ecclesiasticos? En Spiritus S. hac de re nos reddit securos Malach 2. v. 7. *Labia Sacerdotis custodient Scientiam, & Legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Hinc & ipse Deus Deut. 17. à vers. 8. *Equè in rebus politicis ac Spirituales certantes lite remittit à sæculari ad Tribunal Ecclesiasticum, maxime si discordes iudicium sententiæ vel causæ difficiliore intercesserint. Quod si quis Decreto Sacerdotis nõ acqueuerit mandante ibidem Deo, capitis impendio crimen expiare debebat vers. 12. Qui autem superbiebit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministras Domino Deo tuo, & Decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël:* tum temporis enim penes Sacerdotes erat, noxios ad mortem condemnare, in pœnam peccati per iustitiam punitiuam, vt constat ex nonnullis exemplis, Exod. 32. v. 28. Num. 31. vers. 2. Paralip. 23. vers. 14. 3. Reg. 18. vers. 40. & in alijs locis. Iam Sacra Scriptura ius Ecclesiasticum & sæculare vetus, quinimò Constitutiones etiam antiquiores florentissimi Poloniarum Regni, Ecclesiasticos, ad Tribunalia Sæcularium adhibendos censent, nec tamen quidquam proficiunt. Ad Ethnicos, solo naturæ lumine felices, me confero. Quæ verò Sacerdotum apud eos autoritas? quæ honor? Consulium Senatorumque dignitas? Græcis Romanisque satis ad gloriam fuit illustris, at illustrior, forte Sacerdotum à quorum arbitrio secretum, si quod consilium aut Tribunal agebatur, vt piaculum expiari debuit.

11. Quæris hac de re Scriptores ethnicos? copiosi respondent: Cicer. 1. 2. & 3. de Legibus, & lib. de Diuin. 1. in oratione pro domo sua: Tacitus lib. 3. 8. 11. Annal. Plin. lib. 4. Epist. 31. & lib. 10.